This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt 1.730



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

19 September, 1884.

29

Königliches

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium & Realschule 1. Ordnung

zu Köln.

Jahres-Bericht

von

Dr. O. Jäger.

Director.

Inhalt: 1) Quo iure Sallustius Tacito in describendis Germanorum moribus auctor fuisse putetur. Vom ordentlichen Lehrer Carl Breuker.
2) Schulnachrichten. Vom Director.

Köln, 1870.

Druck, Franz Greven, Comödienstraße-Ecke 113.

Lt 1.730

1888+
Salisbury fund.

Quo iure Sallustius Tacito in describendis Germanorum moribus auctor fuisse putetur.

Quod scriptorum suorum nescio quo loco Niebuhrius ille doctissimus de quibusdam rerum scriptoribus agens prolocutus est, qui luce dubia cernere velint, iis aciem oculorum non solum corporis sed etiam mentis praestringi atque hebetari, id de arte disciplinaque philologica, quae veterum auctorum libros tanquam materiam, in qua scientiam doctrinamque vel etiam artificia sua ostendat et exerceat, sibi subiectos habet, eodem fere iure dici posse mihi videtur. Nam etsi maximam utilitatem e veterum scriptorum studio percipimus ad animi mentisque cultum et vitae usum atque studio illo non solum eruditio comparatur, sed, quod multo maius est, tot sapientum praeceptis et exemplis animus omni perturbatione liberatus universam ac solidam virtutem amplectitur, contemnit res fluxas et humiles, ad humanitatem denique adducitur, quam Wolfius ille „primus philologus" pulcherrimum philologiae quasi florem esse dicit, tamen omnibus, qui illi studio operam navant, pericula quaedam impendere, in quae illud Niebuhrii cadit, nullo modo negari potest. Philologi enim obliti, monumenta antiqua, quae pauca per medii aevi barbariem ac turbam ex librorum illo tanquam naufragio nobis servata sunt, fragmenta tantum et ut ita dicam nonnullos flores ac ramos esse pulcherrimae illius arboris in Graecia et Italia ortae, cum in his fragmentis omnia, de quibus se doceri cupiunt, inveniri posse arbitrentur, ad vagas opiniones inanesque coniecturas adducuntur. Atque quod hominum animi mirum in modum novis rebus et inusitatis capiuntur et tenentur, ea, quae coniiciendo invenerunt, quamvis res ipsa nullo modo ad liquidum perduci possit, pro certis et exploratis habent et proponunt, postremo suis ipsorum coniecturis fidem habere assueti vera a falsis, certa ab incertis, verisimilia ab iis, quae fieri non possunt, distinguere dediscunt. Neglectis igitur certis terminis, quibus ars nostra saepta est, petentes, quod est vetitum, ea, quae possunt aperiri et explicari, explorare non satis habent, sed illo ipso studio nova reperiendi adducti ex hac arce satis munita tanquam evolantes caeratis pennis in aeriam inanium opinionum regionem se conferunt, ubi non solum tempus perit ingeniique vires teruntur, sed etiam non raro pennis liquefactis homo audax labitur, alicui falsae sapientiae inanisque doctrinae specimini nomen daturus.

Ex qua nova inveniendi cupidine incredibile dictu est, quot quam vanae et contortae opiniones et coniecturae manaverint. Imprimis vero ad duas artis criticae rationes ea, quae dixi, pertinent. Quarum qui alteram sequuntur, in libris veterum scriptorum aut lacunas aut interpolationes indagare student, quibus repletis vel elisis saepenumero fit, ut arbitrariis illorum opinionibus ipsorum scriptorum verba atque sententiae potius inquinentur quam inquinata in melius mutentur. Ut exemplum afferam, nemo fere est, quin nesciat, quo modo nuper a quibusdam hominibus doctis Horatius tractatus sit. Quamquam ab illis multa prolata sunt, in quibus ingenii atque judicii acumen cernitur, tamen eventus operae in hac arte critica consumptae plane non respondet. Imo vero carmina illa pulcherrima saepe foedissime lacerantur atque quo furore Maenades illae famosissimae in Thraciae silvis Orphea vocalem dilaniaverunt membraque cruenta foedis manibus disiecerunt, eo saeviunt interpolationum venatores in poetam et illud: „non omnis moriar" mox irritum fecisse videntur.

Nec minus altera ratio vituperanda est eorum, qui veterum libris abutuntur, ut verborum emendationibus ingenii aciem ostentent, qui non optimos quosque scriptores penitus cognoscere studeant, sed in eorum operosa tractatione desudant scriptorum, qui coniectandi largissimam materiem praebent librorumque virtutes non ex eo ponderare videntur, quod sententiarum gravitate et verborum venustate excellant, sed quod, ut dicere fere solent, „sciolorum librariorum“ negligentia atque nequitia pessime habiti sint. Quos, ne suo ipsi labori nimium tribuant, commonefacio eorum, quae Fr. A. Wolfius, quem iam supra commemoravi, dixit. „Non tam grande, inquit, pretium emendationibus nostris statuere soleo, ut singularem aliquam gratiam inde sperem aut exigam; facile enim et quasi sponte solent mihi subnasci. — Defessus sum taedio scribendi, quod longe maiore opera mihi constitit, quam emendationes ipsae.“ Quidquod nusquam doctissimum illum virum emendationes suas notasse narratur, sed idem in antiquis fabulis legendis saepe lacrimas effudisse dicitur.

Cogitanti vero mihi, quae tandem optima esset ratio sententiae meae corroborandae atque vitia illa, quibus peccant multi iique praeclarissimi homines, perspicue demonstrandi, nulla commodior atque efficacior occurrit, quam quae argumentationis eiusmodi, ut supra dixi, exemplum ob oculos ponat. Cuius rei si quis cupit exemplar, haud scio an ullum invenire possit illustrius, quam quod de ratione, qua in Germanorum moribus describendis coniuncti sunt Sallustius et Tacitus, extat apud R. Koepke in libro suo „Quaestiones Germanicae“ (Berol. 1859)[1]) et Th. Wiedemann „Quaestiones ad res Germanicas spectantes, editae a societate historica academiae monacensis IV, I. (1864) pag. 171 sq.,[2]) ad quos accedit Kritzius, Sallustii fragmentorum editor maxime celebratus semperque celebrandus.[3]) Itaque in prima operis mei parte omnia quae spectant ad opinionem istam affirmandam atque demonstrandam, ea ex libris illis summo studio congeram atque componam, in altera homines illos doctissimos nimia sive narium sagacitate sive ingeniorum subtilitate deceptos magis verborum quam rerum studiosos mera somnia pro veris venditasse accuratius exponere mihi proposui.

1. Vergilius in tertio Georg. libro de vario pascuorum genere agens cum primum felicitatem gregum, quae sub mitissimo coelo habentur, laudavit, deinde quam misera sit pecoribus atque inimica regio sub septemtrionibus sita, graphice depingit. In ea igitur descriptione terram a Germanis habitatam imprimis spectasse eum non solum colligitur ex eo, quod nives atque frigora earum regionum, quae Histrum attingunt, multa cum arte commemorat, sed etiam de hominum ingenio, moribus, victu cultuque ea affert, quae rursus cum Taciti de Germanis testimonio mirifice consentiunt. Ita enim Vergilius Georg. III, 349 sq:

— Qua Scythiae gentes Maeotiaque unda
Turbidus et torquens flaventes Hister arenas

Illic clausa tenent stabulis armenta, nec ullae,
Aut herbae campo adparent aut arbori frondes

Semper hiems, semper spirantis frigora Cauri . . . . . .
V. 376: Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt et pocula laeti

[1]) R. Koepke, deutsche Forschungen (Berlin 1859) S. 208—226. [2]) Th. Wiedemann, Forschungen zur deutschen Geschichte, herausgegeben von der Münchener historischen Commission IV, 1. (1864) S. 171. [3]) Sallustii Crispi Historiarum fragmenta ed. Fr. Kritz pag. 238. Taciti Germania ed. Kritz prolegomena pag. 6 u. 7.

Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo septem subjecta trioni
Gens effrena virum Rhipaeo tunditur euro
Et pecudum fulvis velatur corpora setis.

Quodsi cum his contuleris, quae leguntur apud Tacitum

Germ. 5, 2: frugiferarum arborum impatiens, ... ne armentis quidem suus honor.
ibid. 24, 3: nec enim — contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent.
ibid. 22, 1: ut apud quos plurimum hiems occupat.
ibid. 16, 3: solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus.
ibid. 16, 4: quia rigorem frigorum molliunt; et si quando hostis advenit, aperta populatur; abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.
ibid. 17, 1: tegumen omnibus sagum fibula aut si desit, spina consertum [1]). cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt.
ibid. 17, 2: locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles.
ibid. 24, 3: Aleam sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut extremo iactu de libertate contendant.
ibid. 23, 1: Potui humor ex hordeo ant frumento in quandam similitudinem vini corruptus —

his igitur collatis concedes, non solum maximum esse, si a poetica dictione discesseris, Taciti cum Vergilio in verbis ipsis et rerum specie consensum — (apud Verg. defossis specubus — specus — defossa apud Tac.; apud Verg. sub terra, — subterraneos apud Tac.; apud Verg. focis ignique, — focum atque ignem; otia agunt — totos dies agunt — plus per otium transigunt) — sed etiam argumentorum eundem esse ordinem, eandem rerum disponendarum rationem, ita ut vix duos scriptores magis inter se congruentes reperias. Sed unde haec mira conspiratio? An Tacitus, religiosissimus homo et summae fidei, ex Vergilio mutuatus est, quae de Germanis tradidit? Minime; opinioni enim, historicum fideli ubivis ac quasi sollicita imitatione ex poeta descriptionem illam pulcherrimam desumpsisse, tanquam lineam post lineam pinxisse atque transtulisse, repugnat illa tam singularis dicendi varietas, qua multa variata sunt addendo, omittendo, immutando: (semper hiems, semper spirantis frigora Cauri — suffugium hiemi et receptaculum frugibus, quia frigorum rigorem molliunt); additamenta quaedam, quae cum locis congruentibus artissime cohaerent (cf. Tac. 17, 1; cetera intecti) consensus quatuor rerum, quas Tacitus suo quamque loco refert, Vergilius in unam imaginem coartavit, id postremo, quod scriptor et poeta eodem verbo non eadem forma utuntur (defossis specubus — defossa ignorantur) — Quae cum ita sint, vix aliud relinquitur, quam ut statuamus, utrumque ex eodem fonte hausisse et quae illic de Germanis relata sint, ea pro consilii sui ratione Vergilium ut poetam, Tacitum ut historicum in opus suum transtulisse.

2. Iam vero cum Vergilius et Tacitus de descriptione, quae ad Scytharum et Germanorum victum consuetudinesque pertinet, consentire videantur, nobis de gentis ingenio atque indole Hor. Carm. lib. III, 24 comparandum est, quod est in eorum numero, quibus cives suos ad avitam morum

[1]) cf. Vergil Aen. III, 594. Ovid Metam. XIV, 167.

innocentiam atque integritatem revocare studet poeta. Expectans fore ut Caesar finitis bellis civilibus in morum emendationem ante omnia incumbat, Horatius quam corrupti perversique sint, demonstrat et remediis etiam violentis pristinam simplicitatem restituendam esse censet. Iam corruptae popularium suorum vitae venuste opponit innocentissimos Scytharum Getarumque mores, quibus plaustra sedes sunt et non metata iugera fruges libere maturescentes neque certi alicuius domini, sed totius populi communes proferunt. Omnibus igitur quae ab Horatio inventa sunt remotis, si in ea tantum, quae ad Getarum mores spectant, animum intenderimus et carmen eo consilio eum composuisse concesserimus, ut integris Getarum moribus descriptis tanquam speculum honestatis proponeret, quod intuentes Romani et de sua corruptione atque depravatione admonerentur et ad bonam frugem se reciperent, nullo modo a nobis dubitari poterit, quin inter Horatium Getarum Tacitumque Germanorum mores describentem summa inveniatur similitudo atque coniunctio. Nam si quis locos scriptorum accuratius inter se contulerit, eadem cum de aliis rebus tum de coniugiorum usu atque ratione ab utroque relata esse intelliget.

Componantur igitur in unum locum Hor. Od. III, 24, 16 sq.

illic matre carentibus
privignis mulier temperat innocens
nec dotata regit virum
Coniux nec nitido fidit adultero

Dos est magna parentium
virtus et metuens alterius viri
certo foedere castitas
et peccare nefas aut pretium est mori.

Confer, quae leguntur apud Tacitum:

Germ. 18, 2: dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert; intersunt parentes.

cum vers. 20—24 cf. 18, 1. paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens . . . 19, 2. publicatae pudicitiae nulla venia . . . nemo enim illic vitia ridet nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur.

cum vers. 21 cf. 20, 2. donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. —

— 3. robora parentum liberi referunt. feminae semel tantum matrimonio iunguntur.

cum vers. 22—23 cf. 19, 3. melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur, sic unum accipiunt maritum quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament.

Proinde confer cum Hor. vers. 35

Quid leges sine moribus
vanae proficiunt.

Tac. Germ. 19, 4: plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.

Adhortatione quam ad cives suos vertit poeta praetermissa vers. 54 sq. nobis comparandi sunt — nescit equo rudis

haerere[1]) ingenuus puer
venarique[2]) timet, ludere doctior
seu Graeco iubeas trocho
seu malis vetita legibus alea
cum periura patris fides
consortem socium fallat et hospitem
indignoque pecuniam
heredi properet.

[Verg. Georg. III, 379; hi noctem ludo ducunt.]

Tac. 24, 3: aleam quod mirere sobrii inter seria exercent. 4. ea est in re pervicacia; ipsi fidem vocant. 26, 1. fenus agitare et in usuras extendere ignotum, ideoque magis servatur, quam si vetitum esset.

His locis collatis similitudinem scriptorum satis explanatam esse rati sunt. Iis quidem demonstrare satis est, Tacitum et Horatium non modo in rerum ratione, in descriptis moribus, in sententiis consentire inter se, sed etiam dictione, narratione ipsa, iudiciis, usu et verborum delectu plurima communia habere. Neque minus elucet neque Horatium haec effingere potuisse neque si effinxisset, Tacitum, qui non poetica figmenta, sed rerum veritatem sequeretur, illa in usum suum convertere potuisse. Quare iam eo inclinant, ut Tacitum et Horatium ex iisdem fontibus hausisse statuant.

3. Ex omnibus iis, quae huc usque disputata sunt, facile apparet, Tacitum duas ad Germanos describendos enarrationes secutum esse, quarum altera, simul a Vergilio tradita — Georg. III, 356 sq. — de victu vestituque, de tectis et oblectamentis egisse, altera ab Horatio ad carmen componendum habita, populi mores et ingenia et indoles explicatius descripsisse videtur. Illis autem duobus scriptis ad librum suum conscribendum modo hac modo illa usum esse Tacitum, omnibus, qui accuratius inspexerint, facile elucebit. Vestitu enim sic descripto, ut maximam partem cum Vergilio consentire videatur, adumbrat ita coniugium (cap. 18.), ut nihil fere aliud enarret, nisi quod traditum est ab Horatio; deinde vero postquam describendo victu ad similitudinem Vergilio proxime accessit, tesserarum (Tac. c. 24, 3. Vergil v. 379. Horaz v. 57.) facit mentionem non minus cum hoc quam cum illo consentiens.

Quae quum ita sint, quaestio nobis exsistit, quis fuerit scriptor, ex cuius descriptione mirus ille consensus sit profectus; quam priore tempore quam Vergilii atque Horatii carmina compositam esse per se intellegitur. Vergilium autem Georg. librum tertium anno 30 a. Chr. composuisse et ex rebus aetatis suae significatis et aliis argumentis minime dubiis potest demonstrari.[3])

Eodem fere tempore, annis 29—27, quo Augustus de moribus emendandis cogitabat, Horatii carmen compositum esse videtur, si quidem homines doctissimos, qui de carminibus eius interpretandis optime meriti sunt, sequi volumus.[4]) Qua re dubitari non potest, quin liber ille, quem et Tacitus et poetae secuti sunt, ante annos 30—27 a. Chr. sit scriptus.

---

[1]) confer Tacitum de equestris disciplinae gloria apud Germanos agentem cap. 32: . . . . equestris disciplinae arte praecellunt; sic instituere maiores, posteri imitantur; hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio, perseverant senes. — Germ. 18; Hist. IV, 10; II, 35; Ann. II, 8. — [2]) De more Germanorum confer Caesar b. G. IV, 1: multumque sunt in venationibus (VI, 21: vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit;) IV, 2: neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur quam ephippiis uti. [3]) Teuffel, Pauly's Realencyklopaedie Bd. VI, p. 2646. Paldamus, praef. VIII, 14. O. Ribbeck, quaest. Vergil. (Progr. zu Elberfeld 1855). Tittler, über die Zeit der Veröffentlichung von Vergils Georgic. (Progr. Brieg 1857) p. 21. cf. Heyne, vita ad annum 30 a. Chr. Francke, fasti Horatt. p. 20 sq. [4]) Francke, fasti Horatt. p. 196. Rührmund, Progr. Potsdam 1857 p. 3.

Cuius ex relatione quoniam videmus cum Tacitum ad Germanos describendos multa deprompsisse, tum poetas illos, qui quidem gentium Danubium et pontum euxinum versus habitantium mores cultumque adumbraverunt, multa in suum convertisse usum, nullo modo negari potest, primos illos fontes earum, quae orientem versus sedes habebant, germanarum nationum mores copiosius tradidisse atque narrasse; neque enim aut rerum scriptori narrationes de aliis gentibus, de Getis et Scythis traditas in Germanorum mores victumque describendos vertere, aut illis poetis descriptionem Germanorum, qui aliis in regionibus, velut in Rheni ripis, sedes habebant, poetica ut aiunt licentia ad gentes, quibus ponti euxini litora domicilia erant, conferre atque vera cum falsis confundere licebat. Quibus ex fontibus ut haurirent cum singularis tantum ars atque vis verborum sententiarumque et Augustanae aetatis poetarum et scriptoris animum allicere posset, qui inter omnes maxime suus est suoque ingenio utitur in conformando orationis genere, ex scriptoribus, qui res germanicas attigerunt, ii soli in quaestionem vocandi sunt, qui fuerunt summi ingenii atque artis excellentissimae. Livius, Asinius Pollio, Cornelius Nepos, Sallustius nobis perlustrandi sunt.

4. T. Livium Patavinum, quocum initium facere mihi liceat, attigisse quidem res germanicas, certo demonstrari potest argumento; nam perioche libri centesimi quarti haec habet: prima pars libri situm Germaniae moresque continet. Sed opinio, poetas ex illo tanquam fonte enarrationes suas hausisse, nullo modo ferri potest. [1]) Livius enim tum demum (annis 27—25 a. Chr.) [2]) opus suum conscribere coeperat, cum Vergilius pariter atque Horatius carmina sua iam composuerat; librum vicesimum octavum quidem scripsit post annum undevigesimum [3]) ante Christum; mortuus autem iam erat Vergilius ante diem undecimum Calendas Novembris illius anni. [4])

Priore tempore quam Livius Asinius Pollio bellorum civilium historiam conscripsit, decem et septem libros continentem, in quibus Rheni mentionem fecerat. [5]) Sed opus illud, quod summis laudibus apud antiqui aevi scriptores celebratum est [6]), neque poetae neque Tacitus ante oculos habere potuerunt, quia nihil erat caussae, quod Asinius Pollio in bellorum civilium descriptione Germanorum gentes ad Danubium habitantes accuratius describeret.

Sed ne Cornelius Nepos quidem illius descriptionis, qua usi sunt Horatius, Vergilius, Tacitus, auctor fuisse potest. Nam quamvis ille fragmentorum testimonio de Germania (frg 52 Roth), de Danubio (frg 59), de mari pontico (frg 60) disseruerit, tamen Tacitum, virum veritatis studiosissimum, in rebus enarrandis scriptorem tanta negligentia atque credulitate, [7]) qui semper jeiuni quiddam et exile sectatur neque quidquam tradit praeter nudam temporum, hominum, locorum, rerum gestarum notitiam, [8]) secutum esse nemini potest persuaderi.

5. Quodsi iam statutum est, ex quibus fontibus et poetae et rerum scriptor depromere non potuerint, de Sallustio, qui anno 35 a. Chr. mortuus est, disserere atque disputare nobis reliquum est. Eum de Germanis tradidisse hisce duobus comprobatur fragmentis.

Sic enim Sall. Hist. III, 57 (Kritz): Germani intectum renonibus corpus tegunt.

atque Hist. III, 58; vestes de pellibus renonis [9]) vocantur.

Quae fragmenta quamvis per se eam non habeant vim, ut hoc quod suspicamur probent, haud parum tamen valent, quod non solum et Vergilium et Tacitum et Sallustium pelles, Germanorum vestimenta, commemoravisse comprobant, sed etiam Sallustium copiosius de Germanorum moribus,

---

[1]) Weissenborn, Einleitung p. 12 ff. Hertz, praef. p. 10 ff. [2]) I. 19, 3. [3]) XXVIII, 12, 12. [4]) Heyne ad a. 19. a. Ch. [5]) Strabo IV, 3, 3. Thorbecke p. 118. [6]) Tac. Ann. 4, 34. Sueton Caes. 30. [7]) Rink, Prolegg. bei Roth p. XV ff. Nipperdey p. XXI ff. [8]) Nipperdey XXXIV ff. [9]) De renonibus ipsis Isidor Origg. XIX, 23, 4 p. 662. Lind: Renones sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hispida, ut imbres respuant.

quae memoriae prodita sunt, narravisse luculenter ostendere videntur. Nam nisi accuratius atque copiosius illae res tractatae essent, scriptor neque usus esset eo vocabulo inusitato ex Gallica lingua adscito neque sententiam explicare potuisset. Fragmenta enim, quae attulimus, cum novem antecedentibus pertinent ad descriptionem Ponti i. e. maris pontici, terrarumque circa illud sitarum, quam auctor operi suo inseruit. Eam digressionem satis claram et copiosam fuisse apud antiquos testatur Fest. Avienus Ora marit. v. 32 sqq.: Interrogasti, si tenes, Maeotici Sinus quis esset aequoris. Sallustium Noram id dedisse, dicta et eius omnibus Praeiudicatae auctoritatis ducier Non abnuebam. Ad eius igitur inclitam Descriptionem, qua locorum formulam Imaginemque expressor efficax stili Et veritatis paene in obtutus dedit Lepore linguae, multa rerum iunximus Ex plurimorum sumpta commentariis. Hinc etiam factum est, ut grammatici interdum, ubi locos ex hac operis Sallustiani parte afferunt, non Historias nominant, sed verborum auctorem Sallustium de situ Pontico (Porphyr. ad Horaz Od. 1, 17, 18) vel in situ Ponti (Non. XII, 18. p. 524, sq.) laudent.

Quem autem locum haec de Ponto disputatio in Historiis obtinuerit, quum nullius fragmento libri constet, neque ullam grammatici eius rei mentionem fecerint, coniectura tantum definiri potest. Aptissima videtur suspicio, quam Kritzius ad Hist. III, 43 defendere conatus est. Gerlachii, qui censet descriptionem Ponti totius belli Mithridatici narrationi praemissam esse, opinione reiecta, sic continuavit: „Nimirum ille non secundum ieiuna ludi magistrorum praecepta opus suum composuit, sed argumentum ita tractavit, ut in eo disponendo naturalem rerum ordinem sequeretur eumque digressionibus, quibus libenter et perquam perite utitur, non interrumperet, nisi ubi res ipsa id vel flagitaret vel commendaret. Quod si tenueris, profecto senties neque ineunte bello Mithridatico neque primis eius annis, quibus circa Propontidem tantum et in Aegaeo mari pugnatum est, iustam causam fuisse, cur Sallustius rerum ordine relicto ad Ponti descriptionem animum appelleret. Sed ut prius id facere non satis commode potuit, ita oportunissimam de Ponto explicandi occasionem habuit tum, quum Lucullus, Mithridate ex Asia pulso, bellum in ipsum Ponticum regnum transtulit, regemque inde in remotiora ac interiora loca refugientem summa vi persecutus est. Quare satis probabilem locum fragmentis huc spectantibus assignasse nos putamus.

Videamus, quot quantaque auxilia et opes Mithridati regi in hoc bello cum Romanis gerendo fuerint. —

Socii regis fuerunt omnes populi, qui circa paludem Maeotidem, Tanaim, Istrum, Rhodopeïos montes habitabant.[1]) Inter quos Bastarnae, Germana gens[2]) bellicosissima, celebrati atque in narrationibus bellorum, quae cum Mithridate rege gesta sunt, saepissime appellati sunt. Cuius rei ut afferam exemplum, Bastarnae pugna ad Chalcedonem commissa, de qua Sallustius Hist. II, 59, 60 narrat, Romanorum pedites in fugam dederunt. Neque minus praestiterunt impetu in portum facto, ubi viginti ex iis, qui primi irruperant, vitam amiserunt. Itaque quum Bastarnae, qui illis temporibus Danubii inferioris accolae erant, plurimum valuerint atque Romanis perniciosissimi fuerint, iam dubium esse nulli potest, quin Sallustius situm ponticum describens accuratius eos quoque commemoraverit. Est igitur valde probabile Sallustium, qui solet de remotarum gentium ingenio moribusque exponere, de huius gentis genere atque origine agentem adiunxisse huic disputationi nonnulla de illarum gentium ingenio et moribus, quae trans illud flumen ostiaque versus habitabant. Sed quum Germanorum natio ipsa latissime pateret, veteres, quaecunque gentes ultra Noricum, Pannoniam, Illyricum ad Danubium versus sedes habebant, eas universo Germanorum nomine comprehendere solebant; cf. Dionys. Perieg. v. 298 sqq.

1) Appian. bell. Mithrid. c. 15, c. 69. 2) Zeuss, die Deutschen die Nachbarstämme p. 127. Brandes, Kelten und Germanen p. 141 sq. p. 212, 9, 1. J. Grimm, über Jornandes p. 50. Duncker, Origg. Germ. p. 82 sq.

Ῥήνῳ δ' ἐξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς Ἴστρος,
Ἴστρος, ἐς ἀντολίην τετραμμένος ἀγχιθαλάσσης
Εὐξείνου, τόδε πᾶσαν ἐρεύγεται ὕδατος ἄχνην.
Πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην.
Τοῦ μὲν πρὸς βορέην τετανυσμένα φῦλα νέμονται
Πολλὰ μάλ' ἐξείης Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης.
Γερμανοὶ Σαμάται τε Γέται θ' ἅμα Βαστάρναι τε;

Sed et alia huc accedunt; multas enim et alias Germanorum gentes in Mithridatis exercitu stipendia fecisse et magni fuisse momenti ad suscepta consiliaque regis prospere gerenda probant multi scriptores cf. Iustin XXXVIII, 3, 6: post haec Mithridates intellecto quantum bellum suscitant, legatos ad Cimbros, alios ad Gallograecos et Sarmatas Bastarnasque ; 4, 5: simul et a Germania Cimbros immensa milia ferorum atque immitium populorum more procellae inundasse Italiam.

Quare vix aliud relinquitur quam ut Sallustium illi operis parti accuratam, quae ad Germanorum mores cultumque spectabat, digressionem inseruisse statuamus. —

Iam vero aliud quoque fragmentum ad eundem situm Ponticum respicere videtur, cuius verba exstant apud Porphyrionem ad Hor. Carm. III, 24, 9, (Hist. III, 47) „Scythae Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt:

Scythiae, quae latissime patebat neque certis finibus erat circumscripta, eam modo partem Sallustius intellexisse videtur, quae inde a palude Maeotide et Tanai flumine ad mare Caspium versus et Rha flumen porrigebatur; nam quae ad remotiores regiones spectabant, in Ponti descriptione non poterant, nisi forte obiter, commemorari. De Scythis Nomadibus cf. Ammian. Marcell. XXII. 8. p. 317. Vales: In medio spatio arcus (sc. Ponti) Europaei sunt Alani et Costoborae gentesque Scytharum innumerae . . . . ; eisque caritates et habitacula vilesque supellectiles plaustris impositae sunt corticibus tectis. Iustin, II, I, 4: Scythae uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hiemisque caussa tectis, pro domibus utuntur.

Iam in eadem Historiarum parte, quam situm ponticum grammatici laudant, et Germanorum et Scytharum mentionem fecisse Sallustium comprobatum est; accuratius inspicere, num de Getarum quoque gente, quam Horatius carmine III, 24, II, rigidam vocat, tradiderit auctor, operae pretium videtur esse.

In secundo Historiarum libro narrat Sallustius de bellis Romanorum cum Thraciae populis gestis, de quo bello Orosius V, 23 conferendus est. Eo tempore, quo Romani tertium bellum contra Mithrid. regem gerebant, Appius Claudius, qui anno 78. a. Chr. Macedoniam provinciam sortitus erat, duobus annis post mortuus successorem habuit Scribonium Curionem. Is quum anno 75 a. Chr. „principio veris cum omni exercitu“ (Sall. frg. II, 41) in Dardaniam abiisset, contra Dardanos et Macedones bellum gessit et primus Romanorum ad Danubium usque pervenit cf. Rusus VI, 2. Marcus Terentius Varro Lucullus, qui Curioni in Macedonia successerat (Sall. fr. II, 41) Bessis intulit bellum atque eos ingenti proelio in Haemo monte facto superavit, oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo aggressus est, cepit, Cabylen occupavit, usque Danubium penetravit. Inde multas civitates supra Pontum sitas aggressus est evertitque illic Apolloniam, ex qua urbe statuam illam clarissimam, quae Calamis erat opus, Romam ferri iussit.

In illis rebus describendis Sallustium de Getarum quoque populo disseruisse, in quorum sedibus tunc contra barbaros a Romanis pugnabatur, affirmatum est nobis a Servio ad Verg. Aen. VII, 604; „sive Getis inferre manu lacrimabile bellum; ubi haec affert: Getarum fera gens etiam apud maiores fuit. Nam ipsi sunt Mysi, quos Sallustius a Lucullo dicit superatos esse. [1])

1) Müllenhof (Artikel „Geten“ in der Encyklopaedie von Ersch und Gruber. Erste Section. 64 Thl. p. 468.)

Iam vero cum in eodem narrationis contextu in Historiarum parte, quam antiqui aevi scriptores situm Ponti vel situm Ponticum esse dicunt atque comprobant, tres illas gentes, ad quas Vergilii, Horatii, Taciti descriptiones pertinent, commemoratas esse invenerimus, quaestio iam eo deducta est ut, quae sit ratio inter illos scriptores, paucis verbis nobis adumbrandum sit.

Vergilium, quocum initium facere mihi liceat singula ex Sallustii Historiis hausisse, iam veteres grammaticos et commentatores minime fugit. Hoc tantum ex multis afferam exemplis: Servius ad Verg. Georg. III, 383 ita de Germanis: vestes de pellibus renones vocantur; quod firmatur testimonio scholiorum bernensium, quae a. H. Müller, homine doctissimo, edita sunt: fulvis, vestes de pellibus, quae vocantur renones, ut Sallustius dicit, quia pecudum de pellibus faciunt gunnas, quibus vestiuntur omnes barbari, id est ovium et caprarum luporumque pellibus utuntur.“ Aliud fragmentum cuius verba Servius servavit, ad Verg. Aen. III, 414 illustraturus poetae locum de freti Siculi ortu, aperte ex Sallustio adumbratum. Verba extant Sallust. Hist. IV, 35: Italiae Siciliam conjunctam fuisse constat; sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aut per angustiam scissum. Ut autem tam curvum sit, facit natura mollioris Italiae, in quam asperitas et altitudo Siciliae aestum relidit. Ita Vergilius:

Haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina (Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas) Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus Una foret. Venit medio vi pontus, et undis Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbis Littore diductas angusto interluit aestu.

Inter Sallustium et Horatium, ut de his quoque disseram, magnam intercedere in dicendi genere similitudinem, facile apparebit omnibus qui cum altero alterum contulerint; nam quum haec habeant:

Sallust.	Horatius.
Catilin. 9. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; — ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.	35. Quid leges sine moribus Vanae proficiunt.
10. Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere.	48. — aurum — Summi materiem mali Mittamus —
11. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit	Eradenda cupidinis Pravi sunt elementa.
12. Postquam divitiae honori esse coepere, — paupertas probro habericoepit	42. Magnum pauperies opprobrium iubet Quidvis et facere et pati.
13. Nam quid ea memorem, — a privatis compluribus subvorsos montis, maria constructa esse	3. Caementis licet occupes Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum.
20. Tolerari potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis?	62. Scilicet improbae Crescunt divitiae.
Ingurtha 18. (Gaetuli et Libyes) neque moribus neque lege aut imperio cuiusquam regebantur; vagi, palantes, qua nox coegerat, sedes habebant.	Quorum plaustra vagas rite trahunt domos. —

hisce inter se collatis non solum sententiis, sed etiam iisdem paene verbis illos congruere concedes.

Magnam similitudinem esse inter Sallustium et Tacitum, quod attinet ad formam dicendi, cogitandi, argumentandi, omnibus qui uno et continuo tenore rursus utrumque relegendo iteraverunt, satis est notum. Brevitatis studiosissimi nunquam pluribus verbis utuntur, quam quibus ad res accurate designandas opus est, quamquam eorum brevitas, iam veteribus intellecta et laudata, non magis in verbis cernitur, quam in coartata et pressa rerum narratione; omissis enim levioribus, quae vel minus ad rem pertinent vel a sagaci et prudenti lectore facile intelliguntur, potioribus rebus cum cura insistunt, celeriter in narrando progrediuntur et iudiciorum severitate, sententiarum crebritate, verborum pondere dignitatem orationi ita conciliant, ut neque obscura neque impedita evadat. Sicut uterque tristitia de reipublicae corruentis statu ac de corruptis civium moribus, de nimio pecuniae amore atque imperii cupidine afflictus et reipublicae interitu, quem instare intellegebat, adeo commotus est, ut plane omissa rerum praesentium cura se ad antiquitatem referret, virtutis, fortitudinis, continentiae exemplis, quae frustra tum quaerebantur, abundantem, ita pro tersa, eleganti, ornata, molli oratione tanquam corruptionis teste antiquam illam simplicitatem, gravitatem, vim et quasi quandam duritiem quaerens in singulorum verborum et locationum usu ab aequalium consuetudine eo modo discessit, ut multa prisca et insolita ex antiquis scriptoribus [1]) asciseeret, alia ex Graecorum usu exprimeret, alia, quae plerumque translato sensu usurpantur, proprio sensu [2]) poneret, quo factum est, ut vel novata [3]) vel nimium declinata videantur. — Sed quae ad rationem scriptorum in universum pertinent, quum longum sit accuratius hoc loco perspicere, mihi consensum ipsum diligentius adumbranti in animum occurit, quod Tacitus praecipue in hominum moribus describendis quosdam Sallustii locos iisdem fere verbis secutus et sententiis rerum narrationi injectis et meditationibus ad res gestas respicientibus usus est. Ita enim Sallustius:

Germania 17, 1. cetera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. gerunt et ferarum pelles.	Germani [cetera] intectum corpus renonibus tegunt; vestes de pellibus renones vocantur.
Germ. 15, 1. plus per otium transigunt dediti somno ciboque.	Ingurtha 2, 4: dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt.
	Cat. 2, 8: multi mortales dediti ventri atque somno indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transegere.
Germ, 19. plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.	Cat. 9: ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.

Haec breviter significata potius quam accurate declarata sufficiant ad rationem atque conjunctionem horum scriptorum indicandam; locis allatis iam omnibus, qui incorrupte sentiunt integreque iudicant, demonstratum est Tacito haud indignum visum esse praestantissimorum scriptorum locos imitari et singulos verborum et sententiarum quasi flores excerptos operi suo inserere ita ut optima ac pulcherrima quaeque ex clarissimorum ingeniorum monumentis redundent in suam dicendi scribendique rationem.

Non tamen Sallustium solum, sed etiam aliorum scriptorum digressiones sequitur et singula ex iis depromit. Confer Caesaris, quem Germ. c. 28 summum auctorem nominat, b. G. II, 4 cum Germaniae c. 2 de origine Germanorum; IV, 1 c. 4 de habitu corporum; IV, 2, cap. 6 de rebus militaribus; VI, 23, c. 12 de principibus consultantibus; VI, 21 c. Germ. 17 de vestimentis Ger-

---

[1]) Quintil. IX, 3, 17. [2]) Quintil. IX, 3, 12. Senec. controv IX, p. 249, 16. [3]) Gellius N. A. IV, 15, 1. I, 15, 18

manorum; VI, 23 c. Germ. 21 de convictibus et hospitiis; IV, 1 cum Germ. 23 de cibo; IV, 1 c. 26 de agricultura; IV, 1 c. 39 de centum pagis Sueborum. Verba consentiunt:

Caesar.

VI, 17: Deum maxime Mercurium colunt

VI, 18: Spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt, — ut noctem dies subsequatur

Tacitus.

c. 9: Deorum maxime Mercurium colunt.

c. 11: Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. — Nox ducere diem videtur.

Eundem Plinio, Germanicorum bellorum scriptori,[1]) usum esse demonstrare videtur consensio.

Plin. hist. nat.

IV, 24: Ortus hic in Germania iugis montis Abnobae — per innumeras lapsus gentes Danuvii nomine in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur.

IV, 31: Rhenum autem adcolentes Germaniae gentium in eadem provincia Nemetes, Triboci, Vangiones, hinc Ubii, colonia Agrippinensis.

XXXVII, II: Certum est gigni in insulis septentrionalis oceani et a Germanis appellari glesum. — Nascitur autem defluente medulla pinei generis arboribus ut — resina pinis. Erumpit humoris abundantia. — Cum intumescens aestus rapuit ex insulis, certe in littora expellitur, ita volubile ut pendere videatur atque considere in vado, quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes. Pineae autem arboris esse indicio est pineus in attritu odor, et quod accensum taedae modo ac nidore flagret. — Archelaus — tradit advehi rude. — Liquidum primo destillare, argumento sunt quaedam intus translucentia, ut formicae ant culices lacertaeque, quas adhaesisse musteo non est dubium et inclusas indurescenti.

Tacit Germ.

c. 1: Danuvius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat.

28: Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt Vangiones, Triboci, Nemetes; ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses. —

45: Sed et mare scrutantur ac soli omnium succinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. — Rude legitur. — Succum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata humore mox durescente materia cluduntur. — Quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa littora exundant. Si naturam succini admoto igne temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.

[1]) Ann. I, 69. XIII, 20; XV, 53; Hist. III, 28.

Vell.	Ne Velleium quidem neglexit. Germ. 42.
II, 109: Cum Germania ad laevam et in fronte — haberet (sc. Maroboduus.)	Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danuvio praecingitur.
II, 118: Arminius — segnitia ducis in occasionem sceleris usus est.	Ann. 1, 58: Dilatus segnitia ducis — ut me et in Arminium et conscios vinciret flagitavi; — quae secuta sunt defleri magis quam defendi possunt.
II, 119: Nunc summa deflenda est.	

Cum vero ante alios Sallustius praestantissimorum auctorum [1]) testimoniis summus sit artifex mores hominum describendi, regionum naturam atque locorum situm illustrandi, gentium populorumque atque temporum accuratam et lucidam imaginem proponendi, et praecipue Situs Pontici et terrarum circa eum sitarum populorumque descriptio summa laude celebrata omnium excellentissima fuisse videatur, a nullo dubitari potest, quin Tacitus illam Sallustii digressionem, quae ad Germanorum mores cultumque pertinet, in suum converterit usum atque suo Germaniae libello inseruerit.

Sed et aliud huc accedit; in alia enim Taciti parte extat locus, qui congruit cum fragmento ex Situ Pontico allato. Nam haec habet Tac. Ann XII, 63: Byzantium fertili solo, fecundo mari, quia vis piscium in m . . . . Pontum erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu, hos ad portus refertur. Quibuscum si contuleris Sallust. Hist. III, 53: Qua tempestate ex Ponto vis piscium erumpit. . . . . me recte dixisse iam demonstratum est.

Quae cum ita sint, res iam ad finem deducta est. Nam qui incorrupto sensu neque occupato praeiudicatis opinionibus animo hanc argumentationem legerit, ita se affectum sentiet, ut fateatur, quae de Germanorum moribus cultuque disseruit Tacitus, quatenus quidem cum Vergilii et Horatii descriptione de Scythis atque Getis habita congruant, ea ex Sallustii Historiarum libro tertio deprompta esse. Haec tamen summi esse momenti, iam nulli qui de fontibus Germaniae disseruerit non patebit; nam si res singulas cap. 16—26 persecuti erimus, eas maiorem partem ad illum locum pertinere elucebit; alia quaedam in hac parte descripta haud dubie ad eundem fontem referenda sunt.

Haec huc usque disputata cum omnia sint, quae ad Koepkii et Wiedemanni sententias explicandas atque confirmandas afferri possint, argumentationum viam et rationem, quam secuti sumus, breviter repetere atque in animum revocare mihi liceat. Mirifico illo, ut aiunt, consensu commoti, qui inter Vergilium Scytharum Tacitumque Germanorum mores describentem apparet, cum in Horatii quoque carmine, quod ad Getarum mores spectat, eandem cum Tacito similitudinem invenissent, nihil aliud reliquum esse opinabantur quam ut tres auctores in rebus enarrandis eundem auctorem secutos esse coniicerent. In illum tamen fontem, ex quo hausissent, cum inquirerent, omnibus aliis scriptoribus circumspectis non erat scriptor, qui magis eorum auctor esse videretur quam Sallustius, ex quo tanquam fonte cum cetera hausissent, tum ea, quae de Germanorum moribus protulerunt, de quibus nemo aut copiosius aut accuratius illo locutus esset.

[1]) Quinctil. X, I, 101: Martial XIV, 189; Tac. Ann. III, 31.

Schulnachrichten.

1. Lehrverfassung.

A. Gymnasium.

I. **Oberprima.** Ordinarius: Haentjes.

Religionslehre: 1) katholische: Allgemeiner Theil der Sittenlehre. Wiederholungen aus der Glaubenslehre mit besonderer Berücksichtigung des entsprechenden apologetischen und historischen Materials. 2 St. Peltzer. 2) evangelische: Römerbrief. Kirchengeschichte der ersten Jahrhunderte; Einiges aus der Kirchengeschichte der neueren Zeit. Wiederholungen aus der Glaubenslehre im Anschluß an die Confessio Augustana. Sprüche, Psalmen, Lieder. 2 St. Hermann. — Deutsch: Gelesen und erklärt: Iphigenie auf Tauris, Torquato Tasso, Lessings Laocoon. Literaturgeschichte: Charakter des ritterlichen Epos nachgewiesen an Iwein. Der arme Heinrich. Besprechung der alle 4 Wochen eingelieferten Aufsätze. Uebungen in mündlichen Vorträgen und im Disponiren. 3 St. Eckertz. — Latein: Cic. orator. Taciti Ann. l. III. IV.— c. 40. Liv. l. II. als Privatlektüre. Hor. od. l. III. u. IV. Epod. 2. 6. 7. Satir. l. I. 6, 9, 10. 6 St. Haentjes. Lat. Aufsätze alle 4 Wochen, Exercitien alle 8 Tage: Uebungen im Lateinsprechen im Anschluß an die Aufsätze und Aufsatzdispositionen. Mündliche Uebersetzungen aus Süpfle III. 2 St. Jäger. — Griechisch: Thucydides l. II. Demosth. oratt. Phil. I—III, ferner de pace, de chersoneso. Repetition der Modus- und Tempuslehre nach Halm. Compositionen, alle 14 Tage ein griech. Exercitium. 4 St. Haentjes. Il. 18—21; Sophokles Antigone. 2 St. Jäger. — Französisch: Guizot, histoire de la civilisation en Europe leçon I—IV; Molière, L'Avare. Extemporalien, Compositionen; auserlesene Stücke aus Knebel's Grammatik; mündliche Uebersetzung aus Probst' Uebungsbuch und alle 14 Tage ein Exercitium. 2 St. Haentjes. — Hebräisch: Wiederholung und Fortsetzung der Formenlehre. Gelesen wurden einige Kapitel aus dem Buche der Richter, aus Koheleth, sodann leichtere Psalmen. 2 St. Peltzer. — Geschichte und Geographie: Geschichte von Europa 1517—1815; mit Benutzung von Herbst's Hülfsbuch III. 3 St. Jäger. — Mathematik: Stereometrie. Trigonometrische, stereometrische und planimetrische Aufgaben. Combinationslehre mit Anwendung auf Wahrscheinlichkeitsrechnung. 4 St. Feld. — Physik: Lehre vom Weltgebäude; Akustik und Optik. 2 St. Feld.

II. **Unterprima.** Ordinarius: Weinkauff, seit Weihnachten Schneider.

Religionslehre: siehe Oberprima. — Deutsch: Gelesen und erklärt Lessing's Minna von Barnhelm, Schillers Jungfrau von Orleans, Maria Stuart, Wallenstein. Literaturgeschichte: Von den ersten Anfängen der deutschen Literatur bis zur ersten Blüthezeit. Besprechung der Aufsätze. Uebungen in mündlichen Vorträgen und im Disponiren. 3 St. Eckertz. — Latein: Lectüre: Livius l. VI—IX. (Auswahl); Cic. erste philippische Rede (zweite privatim); de natura deorum l. II. Wöchentlich ein Pensum. Probearbeiten. Alle vier Wochen ein Aufsatz. Wöchentlich einmal freie Vorträge und Disputirübungen. 6 St. Bis Weihnachten Weinkauff, nachher Schneider. — Griechisch: Lectüre: Plutarch, Agis und Cleomenes; Plato, Apologie und Crito; Xenophon, Apologie und Memorabilien. 3 St. Grammatik: Tempus- und Moduslehre nach Halm. Alle 14 Tage ein Pensum. Probearbeiten. 1 St. Bis Weihnachten Weinkauff, nachher Schneider. Ilias 1; 2; 18—21. Sophokles Antigone: seit Weihnachten mit Oberprima kombinirt. 2 St. Jäger. — Französisch: Guizot,

discours sur l'histoire de la révolution d'Angleterre bis c. VII; Corneille, le Cid. Mündliche Ueberſetzungen und Exercitien aus Probſt' Uebungsbuch; Knebel's Grammatik. 2 St. Haentjes. — Hebräiſch. ſ. Oberprima. — Geſchichte und Geographie: Geſchichte des Mittelalters. 3 St. Eckertz. — Mathematik: Logarithmen. Trigonometrie. Planimetriſche und trigonometriſche Aufgaben. Gleichungen vom zweiten Grade mit mehreren Unbekannten. Diophantiſche Aufgaben vom erſten Grade. 4 St. Feld. — Phyſik: Lehre vom Gleichgewichte und der Bewegung feſter, tropfbar flüſſiger und luftförmiger Körper. 2 St. Feld.

III. **Oberſecunda.** Ordinarius: Eckertz.

